Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799

Quelle:
Copyright:

Initium Prologi: *Quorumdam librorum glorioſi et incomparabilis Doctoris Auguſtini tractatus percurrentes, vt pigri lectores* &c. Materia compilationis ita enunciatur: *In hoc igitur libello primo de eo quid eſt deus agitur. Dein vero a fundamento confeſſionis per virtutum gradus vsque ad ſummum verticem que vita eſt eterna opus omne pertingit.* Denique concluditur: *Hunc ergo librum florigerum appellamus.* Et verſu:

Florigerus liber hic non immerito vocitatur.
Nempe gerit flores quibus incola mens recreatur.

Adparet imitatio praecedentis *Floreti Bernardini*, ſed arctiores ſibi limites circumſcripſit Imitator; *Capitibus* enim tantum XXVII. rem peregit, quorum I. incipit: *Da michi domine ſcire et intelligere* &c. et ultimum finit: *Sic inuenietur Sic aperietur Te preſtante qui viuis* &c. Tum minio: *Explicit Florigerus — finitus Anno incarnationis domini Milleſimo Trecenteſimo Nonageſimo primo Per Bertholdum de Ratiſpona In Vigilia natiuitatis glorioſiſſime Dei genitricis* &c. Quod etiamſi abfuiſſet, Codicem tamen in *Germania* ſcriptum fuiſſe liqueret e verbis: *Maria gotez muter*, quae in Rubrica *fol.* 103. leguntur. *Bertholdus* hic non ſane *Ratiſponenſis* eſt celeber ille *Franciſcani* Sodalitii Eccleſiaſtes, niſi annus mortis 1272. *Waddingum* in *Scriptt. Ord.* fefelliſſet, quod non credo.

III. *fol.* 120. Excerptum Epiſtolae *Bernardi* CL XXIV. ad Canonicos *Lugdun.* de Conceptione B. *Mariae*, quae habetur edit. *Maur. Vol.* I. T. 1. *col.* 169. cui poſterior manus ſtrictiuram adjecit in hunc ſenſum: *Jam non licere tam libere opinari, poſtquam Deus per ſacroſanctum concilium baſilienſe determinauit beatam virginem ſine originali conceptam.*

IV. *eod. fol.* p. 2. *Incipit Omelia beati Bernhardi ſuper ſermone Domini in cena.* Dic *Homiliae* XV. ſed nobis ultimae duae in unam confluxerunt, et pro *Bernhardo* repone *Ogerium* Abb. *Lucedii*, ut habes edit. *cit.* T. V. *col.* 597. et in noſtris his Commentariis plus vice ſimplici.

V. *fol.* 145. p. 2. Biga *Sermonum Bernhardi.* Prior: *Vigilate Fratres* &c. pro Fer. IV. Hebd. ſanctae, ut edit. *cit.* T. III. *col.* 884. Alter: *Hij ſunt dies* &c. pro Coena Dom. ut *col.* 890.

VI. *fol.* 149. *Incipit prologus Domni Bernhardi Abbatis de clara valle in opus ſequens*, id eſt, Homilias *ſuper Miſſus eſt.* Initium: *Scribere me aliquid* &c. Omnia integra, ut edit. *cit.* T. III. *col.* 732.

VII. *fol.* 160. Biga *Sermonum venerabilis Bede presbiteri.* Prior in Miſſus eſt. *Exordium noſtre redempcionis fratres kariſſimi* &c. ut edit. *Colon.* 1688. T. VII. *col.* 335.